

Spero eos boni consulturos esse hunc ludum, in quo  
& societatem & gradus artium pingere uoluimus,  
Et uisum est in ipsis elementis literarum pingere,  
ut quoniam hæc quotidie ob oculis uersantur, sæpe  
ueniant ista in mentem scholasticis, quorum cogita-  
tione nobis quidem uidetur acui & formari iudiciũ  
de utilitate artium, Et ego in hac schola professor  
grammaticus libenter sumpsi orationem ex hoc ar-  
tificio, quod exerceo.

Cogitate autem, Adolescentes, quid futurum  
sit, si quis consonantibus omissis, tantum uocalibus  
uti uelit in loquendo, Is profecto cum tota rerum  
natura pugnabit, Ideo enim literæ uocantur Elemen-  
ta, quod sicut in natura, necessaria sunt elementa,  
ex quibus corpora constant, Ita literæ necessarie  
sunt ad sermonem componendum. Quare sicut illa  
diuina series in uniuersitate rerum perturbaretur,  
exempto uno elemento, Ita abiectis consonantibus  
nulla articulata uox existere posset. Itaq;  
sicut dissimilium literarum naturalis inter se societas  
est, Ita dissimiles artes inter se copulatæ atq; de-  
iunctæ sunt, At hunc chorum artium pertur-  
bant isti, qui sentiunt inferiores disciplinas ad ui-  
tam inutiles esse, quia earum fructus imperitis non  
ita in conspectu est,

Si quis admirator cœli ac stellarum ( Quid  
enim